

Alte Drucke

**THESES || De Cœna Domini, || IVSSV REVEREN=||DI
COLLEGII THEOLOGICI, || PVBLICAE DISPVTATIONI PRO ||
imperanda Facultate, deinceps assumendi || per ...**

Harbart, Burchardus

Lipsiae, 1582

VD16 ZV 30877

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

urn:nbn:de:gbv:ha3-1.149667

THESES

De Cœna Domini,

IVSSV REVEREN^z
DI COLLEGII THEOLOGICI,
PVBLCÆ DISPV TATIONI PRO
imperanda Facultate, deinceps assumendi
per Dei gratiam titulum Doctoris in
Sacro studio(Licentiam vulgò
vocant)

Propositæ à

*M. Burchardo Harbart Coni-
censi, S. Theologiae Baccalaureo, &
eiusdem in Academia Lipsica publico
Professore.*

Ad Diem XXIII. & XXV. Septemb.

LIPSIAE

IMPRIMEBAT GEORGIVS
DEFNERVS,

Anno

M. D. LXXXII.

332.31.3

12. CANTO DELLA

14. RAVENNA
CON DEDICAZIONE
A L'ADMIRAL
DEL GRAN CANALE
D'ACQUA MARINA
DI VENEZIA.
CANTO DELLA

15. CANTO DELLA

16. CANTO DELLA

17. CANTO DELLA

18. CANTO

19. CANTO DELLA

20. CANTO DELLA

21. CANTO DELLA

22. CANTO DELLA

23. CANTO DELLA

24. CANTO DELLA

25. CANTO DELLA

26. CANTO DELLA

27. CANTO DELLA

28. CANTO DELLA

I.

Sicut homo duorum sensuum abusu, ad violentum diuini mandati præscriptum fuit adductus, auribus nimis frumentorum fraudes Diaboli hauriendo, & oculis vetiti fructus illecebras admittendo: Ita Deus ex immensa bonitate hunc lapsum corrigerere cupiens, verbo vitetur, quod per auditum in animum ingressum, nos de essentia & voluntate eius erudit: & testimonij ac signis, quæ visu percepta confirmant, quicquid sua voce ad nos profert diuina Maiestas.

II.

Horum signorum quadam miracula dicuntur, quod, cum præter usitatum naturæ cursum fiant, admiratione in animis hominum, causas illorum non asequentium, excitent: quæ verbo coniuncta illius veritatem & certitudinem confirmant, ut sunt fecundatio sterilium & effatarum Genes. 18. 1. Sam. 1. Luc. 1. Solis motus inhibitus Iosu. 10. eiusdem regressus, 2. Reg. 20. mortuorum resuscitatio, &c. Quadam Sacra menta vocantur, quia promissionibus gratia addita, sunt sacra rei sigilla, ut Circumcisio, Baptismus & Cæna Domini.

A 2

Quia

III.

Quia verò proximè ac secundum Euange-
lij prædicationem , nihil humano generi à Deo
concessum est , aut salutarius , aut ad veram &
efficacem animorum consolationem aptius , quam
quod Filius Dei mortem pro delictis nostris subi-
turus , in sacro sancta Cœna sua nobis legauit : Ideo
de hoc Christi testamento , iuxta verba institu-
tions , breuem ac simplicem doctrinam propone-
mus .

III I.

Huius varie extant appellationes , parum
ex sacris literis desumptæ , partim ab Ecclesia &
pia vetustate usurpata . Nam 1. Christus Testa-
menti voce utitur Matth. 26. Marc. 14. Luc.
22. Itemq; Paulus 1. Cor. 11. 2. Cœna Domini
dicitur ibidem . 3. Poculum & mensa Domini
1. Cor. 10. 4. τῆς σωτήρεως vocem subinnuere
videtur Apostolus 1. Corinlh. 11. cum inquit:
σωτηριοῦ μνῶν ὑμῶν Τῇ τὸ αὐτό , η̄ εὐ τῇ ἐκκλησίᾳ .
Est enim hac orta à publica congregatiōne , in qua
hoc Sacramentum administratur . 5. εὐχαριστία
verbum ex eodem loco , ubi mortem Domini in
Cœna usū annunciare iubemur , petitur . 6. τῆς
ἀγάπης nomen inde ortum est : quod hic recola-
tur

tur memoria immensi amoris Christi, qui animam suam pro amicis dedit, Iohan. 15. Et quod nectatur charitatis vinculum inter eos, qui unum sunt corpus, quia de uno pane participant. 1. Corinth. 10. Ideoq; Tertullianus huius vocis originem à charitate, qua in egenos clargiendo elemosynas quondam fuit exercitata, dedit. 7. Hinc quoque Missæ vocabulum usurpari ceptum in Ecclesia de hoc mysterio putatur: quod **מְסָה** Deut. 16. pro contributione legatur: quamuis quidam latinum esse autem. 8. Sacrificij vox usurpata est à veteribus in hac materia, non consensu, quod Christus aeterno Patri in Cœna offerri velit; sed quia in hoc Sacramento publica fiat mentio, unicui illius propiciatoriū Sacrificij, quod semel in ara crucis, per oblationem corporis sui, pro nobis peregit Salvator noster, Heb. 10.

V.

Ac instituisse Filium Dei Sacramentum Corporis & Sanguinis sui in Cœna, quam paulo ante agonem & mortem cum discipulis suis celebravit: testes sunt locupletes, omniq; dubitatione maiores Apostoli & Euangelista, qui Spiritus sancti afflati, doctrinam Euangeliū literis com-

prahensam, ad posteritatem propagarunt, Matheus 26. cap. sua historie, Marc. 14. Luc. 22.
Et Paulus 1. Cor. 11.

V I.

Descriptionem illius ex verbis Institutionis
ab Ignatio concinnatam citat Theodorus
Dialogo 3. in hanc sententiam: εὐχαριστία ἐπί^{τάξεως} την οὐρανού στέψαντον Ιησοῦν Χριστόν, ωντες υμῶν
παθήσα, λόγῳ χρησότητι ὁ πατὴρ ἡγένετο: Huius
mentem planissimè Reverendus Pater D. Luthe-
rus sanctæ memorie reddidit hac παραφράσει:
Sacramentum altaris est verum Corpus & verus
Sanguis Domini nostri Iesu Christi, sub pane &
vino nobis Christianis ad manducandum & bi-
bendum, ab ipso Christo institutum.

V II.

Oportet in legitima eius administratione
tria concurrere: quorum primum est verborum
institutionis Christi recitatio, quam vulgo con-
secrationem seu benedictionem vocant, ad
τῆς εὐλογίας vocē, qua Paulus 1. Cor. 10. utitur,
respicientes. Alterum sunt externa symbola, cum
quibus verum corpus & sanguinem suum nobis
exhibet Christus. Tertium est distributio, usus
seu

seu manducatio, & recordatio beneficiorum Re-
demtoris nostri.

VIII.

Autor huius mysterij Christus est, qui neq;
in omnia loca extenditur, neq; ex uno in alium
deuenchitur: sed ad dexteram Patris sedens, car-
nem suam & sanguinem, verum cibum ac po-
tum, Christianis sacra Cœna uentibus, eden-
dum ac bibendum imperit.

IX.

Id quod liquido appetet ex descriptione hu-
ius testamenti, quæ fundamentum huius doctri-
nae solidum continet. Nam Matthæus cap. 26.
bis vitur verbis, Vescentibus eis accepit Iesus pa-
nem, & cum egisset gratias, fregit, deditq; di-
scipulis, & ait: Accipite & comedite, HOC EST
CORPVS MEVM. Et accepto poculo, & gra-
tias actis dedit illis dicens: Bibite ex hoc omnes,
Hic est enim SANGVIS MEVS, qui est no-
ui testamenti, qui pro multis effunditur, in re-
missionem peccatorum. Marci 14. talis descri-
ptio extat. Et edentibus illis, sumto Iesus pane,
cum gratias egisset, fregit & dedit illis ac dixit,
Sumite, comedite: HOC EST CORPVS
MEVM. Et accepto poculo, cum gratias egis-

*Set, dedit illis, & biberunt ex eo omnes, & dixit
illus: HIC EST SANGVIS MEVS noui
testamenti, qui pro multis effunditur. Lucas in
hunc modum describit 22. cap. Et accepto pane
cum gratias egisset, fregit ac dedit eis dicens:
HOC EST CORPVS MEVM, quod pro
vobis datur, hoc facite in mei recordationem. Si-
militer & poculum postquam cœnauit dicens:
Hoc poculum nouum testamentū est IN MEO
SANGVINE, qui pro vobis effunditur. Pau-
lus i. Cor. 11. tali verborum forma vitur, Do-
minus Iesus in ea nocte qua traditus est, accepit
panem, & postquam gratias egisset, fregit ac di-
xit: Accipite, edite, HOC EST CORPVS
MEVM, quod pro vobis frangitur, Hoc facite in
mei commemorationem. Ad eundem modum
& poculum peracta cœna, dicens: Hoc poculum
nouum Testamentum est in MEO SANGVI-
NE. Hoc facite, quotiescumq[ue] biberitis in mei
commemorationem.*

X.

*Cum autem Euangeliste, in descriptionem
institutionis Cœnae, verbis nonnihil varient: ut
autem unum & idem sentiant: hinc colligimus
presentiam corporis & sanguinis Christi in Ce-*

na, non nuda verborum recitatione, sed institu-
tione, mandato & promissione Christi effici.

X I.

Interim tamen, verba ipsa in administrati-
one testamenti Christi, nequaquam sunt prater-
mittenda: sed clara voce linguae vernacula reci-
tanda, ut populus doceatur, Christum semel in-
stituisse corpus suum cum pane edendum, & san-
guinem suum cum vino bibendum: atq[ue] Christi
mandato, & institutione, quae adhuc viget, su-
amj vim habet, nitens, ad huius mysterij frui-
tionem accedat, certò statuendo, se vero Christi
corpore ac sanguine ad eternam vitam ali ac
pasci.

X II.

Neg. est illa evidens ac urgens causa, nec
illa magis ad rationis & natura talia ac ianta
sunt, que nos cogant à iam perspicuis testimonijs
discedere: imò contrà ipsa nos necessitas adigit,
& mandatum Dei, quo ad audiendum Christum
obligamur, serio impellit ad retinendum & p[ro]t[ect]or[um]
verborum institutionis.

X III.

Etsi enim in iudicium rationis nostra im-
pingit vera corporis & sanguinis Christi in sacra

Cæna præsentia: tamen nullum fidei articulum
violat: & tantus est consensus Euangelistarum
& Pauli, quod ad rem ipsam attinet, in huius
mysterij declaratione, ut omnes scrupulos, ab
humano iudicio iniectos, facilè eximat, & sumi
instar dispellat. Quia de corpore pro nobis tradito
ibi dicitur, & de sanguine pro nobis effuso: &
Paulus indignè manducantes reos pronunciat
(prophanati ac violati) corporis & sanguinis
Christi.

XIII.

Ac tutissimum quidem est in hoc sacro-
sancto mysterio declarando, verbis uti, que à
Christo pronunciata, literis mandarunt Spiritu
Dei illustrati homines: veruntamen, quia verbis
ipsis simpliciter acceptis superstitioni & profani
homines ad duos nefundos errores in Ecclesiam
inuehendos abusi sunt: quorum unus est tñs mu-
tatioñew Papistica, quam olim metapoïetiv, mi-
tabeliù, n̄ metapoixiow voâcrunt, quasi ex-
terna symbola tota sui substania in corpus &
sanguinem Christi mutata, præter nuda acciden-
tia, nihil sui reliquum faciant: alter est eorum,
qui præter signa ipsa, nullam statuunt veri cor-
poris & sanguinis Christi veram præsentiam:
ideo

ideo non modo R. Vir D. Lutherus, verum etiam
sancti Patres leguntur usi particulis, In, Cum,
Sub pane & vino.

X V.

Nam Augustini celebris est sententia in sermone ad Neophytorum, Hoc accipite IN PANE, quod pependit in cruce: Et hoc accipite IN CALICE, quod effusum est de Christi latere. Idem ait, Caro eius est, quam SVB PANIS forma in sacro accipimus: & Sanguis eius est, quem SVB VINI specie & sapore potamus, &c. Et Chrysostomus lib. 3. de Sacerdot. CV M rebus qua videntur simul adesse creditur corpus & sanguis Christi.

X VI.

Neg. verò sic loquendo, vel localem inclusionem corporis & sanguinis Christi, in externis Elementis: vel affixionem ad illa, indicare voluerunt: sed ut dictum fuit, animus erat, duos illos pestilentes errores excludere, & ista particularum diversitate significare, de modo praesentiae non esse curiose inquirendum, cum ille ab omnipotencia Dei, ac veritate & institutione Christi dependeat.

Idem

XVII.

Idem iudicium esto de ijs Patrum dictis in quibus, Signi, Symboli, Figure vel Typi voce in hac doctrina utuntur, non ut negent verè adesse Corpus & Sanguinem Christi in sacra Cœna: sed istas voces visibilibus Elementis accommodarunt, ad significandum, manere illa sua substantia per se integra, non redigi in nihilum, neq; in Corpus Christi mutari, & una cum illis, utentibus testamento Domini verè exhiberi, quod verba prima institutionis sonant, ac offerunt.

XVIII.

Hac enim suspicione negata vera præsentia se liberarunt utendo particulis, verè, Corporaliter, Substantialiter, realiter, non ut modum, quo Christi corpus adest, definirent, multò minus, ut Capernaiticam carnis Domini lanenam asserterent: sed potius ut significarent, corpus & sanguinem Saluatoris nostri non typicè, nec tantum efficacia ac virtute, verum etiam secundum substantialiam utentibus sacra Cœna communicari.

XIX.

Nam Apostolorum ac Euangelistarum verba, in huius testamenti descriptione, ad unum scopum directa, clarissimè euincunt ac docent,

nobis

nobis in sacro sancta Cœna offerri duas res differentes, quæ coniuncte unum efficiant Sacramentum. Quarum altera rationem cum his inferioribus habens, in sensus incurrit, ut est panis & vinum: altera licet suam essentiam ex corpore & sanguine Mariae, Spiritus sancti efficacia & virtute Altissimi sumserit: ad supra etiam & cœlestia pertinet, & est corpus & sanguis Domini nostri Iesu Christi.

XX.

Testantur enim Evangelistæ & Apostoli, Christum in ultima Cœna, non tantum panem & vinum: sed simul cum his verum quoq; corpus suum & sanguinem distribuisse: quorum ratione panis & vinum nouum nomen sortita, corpus & sanguis Christi appellantur, non tantum, quod similitudinem quandam corporis & sanguinis Christi gerant: verum etiam quod cum his pane videlicet & vino, verum Corpus & Sanguis Christi praebantur.

XXI.

Instituit autem Christus hoc Sacramentum Ecclesiae, qua cum viuis & mortuis constet membris: quotquot in societate illius vivuntur Cœna, iuxta verba Testatoris, veri Corporis & Sanguis.

Sanguinis Christi sunt participes , digni pariter
ac indigni , licet euentu dissimili.

XXII.

Nam digni quidem Mediatorem Dei & ho-
minum , hominem Iesum Christum , carnem su-
am nobis manducandam , bibendumq; sanguini-
nam dantem , fidelis corde atq; ore suscipentes (Au-
gustin. lib. 2. cap. 9. contra aduers. Legis) quia
hoc faciunt in fide & bona conscientia , & bene-
ficiorum Christi memores mortem eius annun-
ciant , meritaq; illius sibi applicant certa fiducia:
vitam & salutem referunt ex ista manducatio-
ne , Saluatore nostro Spiritu & corpore suo illos
pascente & vegetante , ut subinde crescant in ho-
minem perfectum , qui Deo seruiat in iusticia &
sanctitate vera.

XXIII.

Indigni verò (quos non vocamus Turcas ,
Iudeos aut alios , qui alieni sunt à doctrina Chri-
stiana , sed hypocritas & impios , qui licet in do-
ctrina cum pijs consentiant , non tamen verè ad
Deum sunt conuersti) ore indigno corpus Christi
accipiunt , & sanguinem redēptionis nostra hau-
riunt , Leo Serm. 4. Quad. ad iudicium & sui
condemnationem .

Veris-

XXIII.

Verissimum enim est, quod D. Augustinus lib. 3. cap. 14. contra Donatistas afferit: Inteligatur aliquid bonum non solum vitam posse operari benè vtentibus: sed etiam mortem male vtentibus, Nec interest cum de Sacramenti integritate & sanctitate tractatur, quid credat, aut quali fide imbutus sit ille, qui accipit Sacramen-tum. Interest quidem plurimū ad salutis viam: sed ad Sacramenti questionem nihil interest, Fieri enim potest, ut homo habeat integrum Sacra-mentum & peruersam fidem.

XXV.

Et verba Christi, Hoc est corpus meum, &c. rām ad Iudam, quām ad Petrum dicuntur. Ideo-que Augustin. lib. 9. contra Fulgent. inquit. Iu-das proditor bonum corpus, & Simon magus bo-num baptisma Christi percipit: sed quia bono be-nē non sunt usi, mali male vtendo deleti sunt, &c.

XXVI.

Et Lucas omne tollit cauillum, quando af-firmat, Christum hoc corpus in Cœna porrigeret, quod pro nobis in mortem traditum est. Constat autem Christum pro toto genere humano mortem obijisse:

obijisse: Igitur omnes qui sunt in societate Ecclesie, & Cœna iuxta Domini institutionem vntur, Corporis & Sanguinis illius participes sunt. Hinc est quod Apostolus indignos reos peragit, prophanati corporis & sanguinis Christi, atq; iudicium diuinum illos sibi accersere pronunciat.

XVII.

Cum enim Eucharistia duabus constet rebus, terrena & cœlesti, ut Ireneus ait, seu visibili Elementorum specie, & inuisibili Domini nostri Iesu Christi carne, ut Augustin. affirmat, etiam indigni cum externis symbolis verum corpus & sanguinem Christi accipiunt: quia ut supra ex Augustino contra Donatistas probatum fuit, improbi etiam integro utuntur Sacramento.

XVIII.

Quare duplex statuitur manducatio Corporis Christi in Cœna. Una Sacramentalis, in qua cum pane & vino, verum Corpus & Sanguis Christi, tam dignis quam indignis hoc Sacramento videntibus, exhibetur: Et Spiritualis altera, que fidei sibi applicat beneficia, impetrata & donata nobis per Corpus Domini, quod pro nobis in mortem tradidit, & per sanguinem eius, quo nos à peccatis nostris mundat. Haec indignis haud-

haudquaquam competit, sed dignis tantum, atq;
fit etiam extra usum Cœna: & de hac agit Chri-
stus Iohan. 6.

XXIX.

In Sacramentali manducazione externa
signa panis & vinum, iuxta id, quod habent
materiale, in ventrem abeunt, & per secessum
ejiciuntur, Orig. 15. cap. Matth. Et Panis ad hoc
factus in accipiendo Sacramento absimitur. Au-
gustin. lib. 5. de Trinit. cap. 10. At Corpus Chri-
sti, licet iuxta verba Testatoris, cum ipsis Ele-
mentis verè accipiatur: tamen quia mors ipsi
amplius non dominatur, Rom. 6. non atteritur
aut laniatur dentibus, neg. in substantiam cor-
poris nostri, aliorum instar alimentorum, mu-
tatur: sed in impijs quidem abutentibus hoc my-
sterio, suum exercet iudicium: pios verò nutrit,
pascit, sibiq; conformat, & ad vitam aeternam
sustentat.

XXX.

Nam si communis Caro esset, aut tantum
viri sanctificati, & non unigeniti Dei propria
Caro, in qua tota plenitudo diuinitatis inhabitat
& qualiter: tunc eius manducatio in Cœna, q;

ore fit, verè esset ἀνθεωποφαριδα, Cyrill. lib. ad
Enopt.

XXXI.

At verò cum sit Caro propria Filij Dei, cui
pater dedit vitam in seipso habere, & omne iudi-
cium tradidit: pios quidem vinificat. Sed im-
piorum diuersa est conditio. Nam sicut cibus cor-
poralis, cum ventrem inuenit aduersis humoris-
bus occupatum, amplius laedit, magisq; nocet &
nullum praestat auxilium: ita iste cibus Spiritua-
lis, si aliquem reperit malignitate pollutum, ma-
gis eum perdit, non suo, sed accipientis vicio,
Chrysost. hom. de prodit. Inde.

XXXII.

Instituta est sacra Cœna à Filio Dei ad hos
precipue fines 1. Ut sit nervus publicæ congre-
gationis. 2. Ut sit testimonium confessionis ac
doctrinae. 3. Ut sit symbolum mutua dilectionis.
4. Ut iuxta Canonem Nicenum, Corpus & San-
guis Christi sint symbola τὸν ηὐερέπος ἀναστάσεως.
5. Ut fidem confirmet, & promissiones in Christo
nobis factas, sigilli instar obsignet & ratas red-
dat. 6. Ut renocantes nobis in memoriam, huius
testamenti usu, beneficia Christi, excitemur ad
gratiarum actionem. 7. Quia Christus Ioh. 6.
inquit:

inquit: Qui meam ederit carnem & sanguinem meum biberit, in me manet, & ego in eo, & in aeternum viuet: Propter hoc Sacramento commonescunt, & communionis eius quam cum Christo habent, & indies magis magisq; in hac communione proficiunt, ut in hac vita regni Dei & cœlestis gaudij gustum aliquem percipiant, immunes ab eterna morte, quippe qui vita filij Dei donati, & carne illius vivificati sint.

XXXIII.

Hec causa pios ad crebrum tanti mysterij usum invitare debebat; ad quem quidem ieiunio & corporis maceratione rectè nos preparari statuerunt Monachi: verum tenendum est, tum nos præbè paratos accedere ad Domini mensam vel ipsis angelis tremendam, quando afferimus cor contritum & humiliatum, & nobis fide applicamus Christi merita, atq; apud nos constituiimus, quod reliquo vita tempore, diuina annuentes gratia, non secundum carnem, sed secundum spiritum vivere velimus.

XXXIV.

Cum Cœna Domini affinitatem habet Baptismus, quod ad causam efficientem & finem attinet: sed materia & actionis forma ab ea differt.

fert. Habent cum eadem quog, cognationem Sacra-
menta veteris Testamenti, quæ de spirituali
potu, & Baptismo agunt, & eundem scopum,
Christum, videlicet respiciunt. Sed hoc differ-
runt: quod fuerunt tanum typi, & umbræ na-
scituri Messiae, & opus redēptionis in assumta
natura humana peracturi. At in Sacramento
Cœna, panis & vinum non sunt nuda absentia
corporis & sanguinis Christi signa: sed distribu-
tis & acceptis his visibilibus Elementis, simul di-
stribuitur & accipitur, verum Christi Corpus pro
nobis in mortem traditum, & Sanguis, ad emun-
dandum nos à peccatis, effusus. Ideoq, Epiph-
anius rectè affirmat, οἱ τύποι ἡ νόμω, η ἀληθεία ἡ
εὐαγγέλιο.

XXXV.

Cum hac sacri mysterij, verbis Christi niten-
te doctrina, pugnant septem Pontificiorum insi-
gnes errores: Primus est transubstantiationis
figmentum, contra Pauli expressa verba 1. Cor. II.
qui etiam post εὐλογίαν, externa symbola panis
& poculi titulo insignit. 2. Inclusio & circum-
gestatio. Nam Sacramentum extra usum à Deo
institutum non est Sacramentū. 3. Δετολατεῖα
pugnans cum mandato Christi: Accipite, Come-
dit,

dite, Bibite, Hoc facite in mei commemoratio-
nem. 4. Sacrificium Missæ, quod ex eodem fon-
te refutatur. 5. Opus operatum. Sacra mentia
enim quia sunt sigilla addita promissione gratiæ,
nihil prosunt utentii absq; fide. 6. Mutilatio alte-
rius partis contra expressam Christi institutio-
nem, qua iubentur O M N E S ex hoc poculo bibe-
re. 7. Figmentum de liberatione mortuorum ex
Purgatorio, per Cœna vel Missæ celebrationem.
Nam Christus viuentibus instituit hoc Sacra-
mentum, qui edere, bibere, & mortem Domini
annunciare possunt.

X X X V I.

Excluditur has ipso quoq; manducatio, &
laniena Carnis Christi Capernaitica: quia corpus
Domini receptum in gloriam, tali iniuriæ mini-
mè est obnoxium.

X X X V I I.

Aduersa quoq; fronte verbis institutionis
repugnant Sacramentarij, qui contendunt, corpus
Christi non nisi spirituali communicatione in Cœ-
na exhiberi, & tanto inter allo abesse ab externis
symbolis, quanto cœlum à terra distat. Ideoq; Sa-
cramentalem unionem tantum intelligunt, de
analogia signi & signati, quatenus nimisrum cor-

pus & sanguis Christi, cum pane & vino aliquid
similitudinis habent. Et contra expressa diuini
Testamentii verba contendunt, Christum, veram
corporis & sanguinis sui in sacra Cœna presen-
tiam, neg. posse neg. velle præstare, cum natura
& proprietas assumta humanitatis hoc non ad-
mittant. Cum his coniungimus eos, qui panem
& vinum tantummodo signa esse statuunt, me-
moria conseruanda causa instituta, non aliter ac
si hominis mortui recordatio perageretur.

XXXVIII.

Neg. consentiunt cum Testamento Christi
& verbis Pauli, qui impios præter nuda symbo-
la, in usu Cœna nihil accipere affirmant. Quia
verò hi & similes aduersariorum sane doctrine
errores copiose ac solidè in Formula Concordie
nostrarum Ecclesiarum, enumerantur & refu-
tantur, ad eam breuitatis studio Christianum
Lectorem remittimus.

Pater sanctifica nos in veritate tua, sermo
tuus est veritas.

E I N I S.